


37





21

SINGVLARE
FEBRIS PVTRIDAE
EXEMPLVM



PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-

FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.

SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS

MEDICI H. T. DECANO

D. OCTOBRIS CIOIDCCCLXXXVIII.
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICA DISSERTATIONE

RECENSET

AVCTOR

IOSEPHVS BERENDT,

SZIROSZINA-POLONVS.



TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

H E R R N

SALOMON

W A S H E A W

Z U B E R L I N

S E I N E M G O E N N E R .

U N D

W O H L T H A E T E R .



WIEDMET
DIESE BLÄTTER
ALS
EIN BESTÄNDIGES ZEUGNIS
DER DANKBEGIERDE

UND EHRFURCHT

JOSEPH BERENDT.



PROOEMIUM.

Pauca sunt, quae prae loquar. Cum in academia regia Halensi medicis et philosophicis studiis operam darem, peropportune accidit, ut singularis quoque aegrotorum, in nosocomio publico decumbentium, cura, sub celeberrimi poliatri auspiciis, in me deferretur. Inde sedulo atque sollicitè medicinae faciendae occasionem nactus, praesertim quod eo tempore febres malignae putridaeque grassarentur, aliorum quoque extra nosochium aegrotantium fiduciam in me conuerti, iisdemque opem medicam, quoad eius facere poteram, tuli. Accipite hic, beneuoli lectores, huius generis exemplum, illudque, speciminis inauguralis loco, benigniter habete.

§. I.

Morbi historia.

Die XXX. mensis Iunii praesentis anni vocatus accessi ad virum quendam, cui *Springero* nomen erat, septem supra sexaginta annos natum, musicaeque arti deditum. Viginti quatuor annis ante Berolini ex acuta febre decubuerat: cui eo tempore saluberrimam opem medicam attulit vir summus et illustris, IOANNES FRIDERICVS MECKEL. Visa autem est tunc quaedam materies morbosa residua, per metastasin ad interiora reiecta: vnde reliqua vitae periodo ex hectica debilitate laboravit. Cum primum accederem, febris, in quam aeger inciderat, in remissione a me est animaduersa. Quae vero tunc obseruavi, erant haec: lingua impura, mucoque subflauescente, eodemque sicco obducta; oculi ex flauo rubebant; et ipse aegrotus de amaro sapore, ructibus nauseosis, et enormibus capitis doloribus maxime querebatur. Decimus nunc erat dies, vt aeger adstantesque amici adfirmabant, ex quo artuum torpor ineuntis morbi accessum declarauit. Pulsus hoc remissionis tempore febrilis quidem erat, sed simul admodum paruus et saepe intermittens: ex quo postremo symptomate, vt SOLANVS auctor est, forte instantis diarrhoeae omen cepi. Ceterum haec omnia, et praesertim paullo ante memorata, symptomata respiciens, de euacuandis

dis primarum viarum, et potissimum ventriculi, for-
dibus cogitare coepi. Proinde tartari emetici grana-
tria, in aquae cuiusdam destillatae duabus vncis so-
luta, aegroti diuisis dosibus sumenda praescripsi.
Vix autem dimidiam huius portionis partem hauserat
aeger, cum insignem tenacis pituitae, et paullo mi-
norem bilis copiam expedite euomeret.

§. II.

Eadem continuatur.

Subsecuta nox paullo fuit quietior: per inter-
ualla placide dormiit aeger, et ipse sibi per noctem
visus est paullulum melior, minusque febrili frigore
atque aestu vexatus. Ego vero mane accedens, vn-
decimo nimirum morbi die, deprehendi eundem o-
culos manus dorso fricantem, simulque velut torua-
tuentem: vnde aut imminens delirium, aut exanthe-
ma quoddam praesens. Linguam ex ore exserere
non poterat aeger; tremula enim erat, et a spasmo
quasi in fauces retrohebatur. Color autem atque
ficcitas linguae eadem, vt heri, erat. Vix autem
nudato pectore apparuit hic et in vniuerso reliquo
corpore infinita copia petechiarum nigricantium at-
que liuidarum: praecordia erant adeo tensa, vt pul-
santis cordis motus manifeste dignosceretur. Cutis
vbique erat arida atque sicca; lotium paucum et co-
loris clare rubentis: ex quo coctionem materiae mor-
bosae difficulter absolutum iri ominatus sum. Arte-
riarum ictus etiamnum saepe intermittens. Quoniam
igitur partim tunc temporis Halae febres putridae bi-
liosae

liolae populariter grassabantur, petechiis plerumque stipatae; partim etiam praesentis aegroti morbus iam undecimum attigerat diem: statui, methodum sequi medendi antisepticam. Hoc consilio praescripti sequentem formulam: Recipe radices angelicae, serpentariae Virginianae, valerianae, ana drachmam vnam; infunde aquam feruentem, q. s. ad colaturam quatuor vnciarum: admisce oxymel. simplicis duas vncias. Huius infusi tantum, quantum cochlear capit, singulis horis aegroti est datum. Potui ordinario destinaui aquam, vegetabilibus acidis liquoribus sufficienter acidulatam.

§. III.

Idem argumentum.

Quae duodecimum morbi diem nunc antecederat, nox parum quieta fuit, et potissimum insomnis. Delirus quoque aeger a diarrhoea correptus est, quae ad duodeuicesimum vsque morbi diem durauit. Dedit ergo mane hoc die tincturam rhei aquosam, loco salis tartari, quod alioquin admisceri solet, sale ammoniaco mixtam. Tantum autem abfuit, ut diarrhoea exinde imminueretur; ut potius aluus, inscio aegroti, sua sponte proflueret. Sub diei autem decimi tertii exorsum omnia atque singula, quae commemorauimus, symptomata manifeste remiserunt: delirii inprimis atque diarrhoeae maximum fuit decrementum. Arteriarum autem micantium pulsationes, licet essent celerrimae, adeo tamen fuerunt exiles, ut tangētis digiti sensum fere subterfugerent. Sub-

Subsecuta media nocte, quae in decimum quartum diem vergebat, recruderunt denuo increueruntque pristina symptomata, oculique illacrymari coeperunt, nec ardentis candelae lumen perferre potuerunt. Haec sub accessu meo obseruans, potionem ante dictam alexipharmacam, aequali portione decocti corticis Peruuiani aquosi mixtam, in supra memorata dosi singulis horis aegrotto propinaui. Potus ordinarij loco vero dedi acoris vitriolici drachmam, aquae simplicis vncias duodecim, oxymel. simplicis vncias quatuor, inuicem mixtas. Eodem die, hora post meridiem quarta, lingua aegrotantis exarescere et nigrescere coepit, amissa simul omni fitis sensatione. Vrina emissa erat limpida et aquosa, sed simul, quodcumque agitabatur, valde spumosa. Quo ex signo, aut crisin impeditam esse, aut saltem expeditu admodum difficilem, aut latere symptomaticeam internam inflammationem quandam, verbi causa, phrenitidem, iudicaui. Pulsantium arteriarum ictus a magna illa celeritate ad naturalem, immo tardio rem, rythmum deflexerant.

§ IV.

Morbi exitus.

In illaetabili hoc summeque periculoso aegrotantis statu protinus ad furas vesicantia emplastra applicanda curauit. Sed ob infractas aegri vires vitales inefficacia fuerunt, nullasque vesiculas excitarunt. Die decimo quinto sextoque plane sui compos non fuit aeger: quandoquidem nec agnoscere adstantes

B

poterat,

poterat, nec loqui. Seposui omnium medicamentorum interiorum usum, solo acore vitriolico excepto. Decimo septimo demum die tanta in aegroto deprehensa est virium iactura, ut, si etiam abdomini manus imponeretur, respirationis motus percipi nequiret. Periculum tunc denuo feci, an aeger iterum decoctum illud chinatum adsumere posset, nec ne? Adsumsit, licet difficulter. Ex consilio quoque viri illustris, Professoris et poliatri Halensis celeberrimi, D. REIL, renouavi priora vesicatoria, tertiumque in pectore positum addidi. Versus vesperam, quinta circiter hora, observabam paullo elatiorem pleniorumque, et simul magis regularem, arteriarum pulsationem. Auxi ergo dosim decocti chinati. Paulo post emissum lotium a mediocri quiete nubeculam in medio vitri seiunxit; et ipsa quoque cutis ad tactum emolliri coepit. Pernoctavi cum aegroto: ut in anticipiti hoc discrimine semper praesens essem. Incunte nocte obdormiuit aeger parum, quippe mox iterum expergefactus. Dedi ipsi iam memoratam portionem alexipharmacam, decocto chinato mixtam, simulque vel inuitum aquam illam acidulatam bibere iussi. Sub horam primam nocturnam placidus et constans supervenit somnus: cutis madescere, denique paullo post sudare coepit vsque ad horam quartam matutinam. His phaenomenis excitatus, spem feci uxori liberisque, fore, ut aeger hoc ex morbo conualescat. Aliquot etiam horis post evanuit aponia, et ipse aegrotus crustam illam siccam aridamque, quae linguae erat superinducta, dentium opera detergere molitus est;

est; cuius separationem illito rosaceo melle adiui. Rediit dehinc aegro mei adstantiumque agnitio. Vesificantium quoque effectus satis amplis et elatis vesiculis declarabatur: quarum facta incisione et denudatione, suppurationem, vt artis est, expeditam seruauit, donec foras prodire poterat aegrotus. Ita, desinente quoque febre, meo iussu, aeger nutriente et euchylo victu vsus est, et, mox recuperatis viribus, etiam nunc bene valet.

§. V.

Epicrisis prima.

Veniam, vt spero, dabunt lectores, si, huic commentariolo disputandi opportunitatem accommodaturus, illustrandi huius exempli causa, monita hic adiciam nonnulla, partim pathologica, partim therapeutica. Transitus febris acutae in hecticam (§. I.), vt est haud rarae nostris temporibus obseruationis, ita etiam ipsi iam HIPPOCRATI haud fuit incognitus. Ex translapsu acutorum, inquit enim a), morborum hecticae febres superueniunt. Huic autem morbo, quem descripsi, febris putridae nomen indidi, commotus iis signis, quae huic sunt propria: aduenturum enim morbum praenunciauerat insignis artuum totiusque corporis torpor; praesentem, cum ego accederem, declarauit pulsus celer et frequens, simulque admodum paruus et irregularis, lingua arida, ex flauo mucosa, oculorum rubor subflauescens, capitis dolor cum obtuso sensu; accesserant ad haec intuitus toruus, lingua tremula et velut retroacta, cutis

a) In libro de affectionibus.

tis arida, sicca, petechiis obsita, praecordia tensa, lotium paucum et clare rubens, diarrhoea constans, inscio aegroti, delirium, agrypnia, et cetera (§. II. III.); in summo denique morbi statu lotium aquosum atque spumosum, pulsusque arteriosi rythmus naturalis, immo naturali tradior, vna cum fitis iactura. Quis est, qui his ex phaenomenis febrem putridam non dignoscat? *b)* Ex singulari hoc exemplo didici quoque, haud inanem esse praedictionem, quam SOLANVS in acutis morbis ex intermittente pulsu efformat *c)*, futuram nimirum eamque decretoriam per alui aut vrinae vias euacuationem, hancque eo constantiorem, quo constantior iste intermissionis modus est.

§. VII.

Epicripsis altera.

Si citius aduocatus essem, nequiquam certe omissa a me esset primarum viarum a collectis sordibus purgatio. Sed nunc, decimo demum die, accessitus, haesitavi, fateor, daremne in adeo adulto morbo emeticum, nec ne? Verum enim vero, praeter notissima illa praesentis in ventriculo impurae saburrae indicia, quae hic animaduvertebantur, confirmavit me imprimis hac in sententia intermittens ille, quem

b) Confer illustris viri, MAXIMILIANI STOLL *Apborismen über die Erkenntnis und Behandlung der Fieber.*

c) Super hac prognosi, ex intermittente pulsu desumpta, legi quoque meretur illustris CHRIST. GODOFRED. GRVNER in *Semiotice physilog. et pathologic.* §. 174.

quem dixi, arteriarum pulsus: ex quo scilicet intellexi, ipsam hoc in aegro naturam huiusmodi euacuationem moliri, adeoque haud inopportune congruis medicamentis adiuuari posse. Nec finistrum huius consilii fuisse euentum, supra retuli. In selectu adhibendorum medicamentorum primo antiseptici antispasmodica, verbi causa, valerianam, admiscui: quod passim in hoc aegrotto varii motus spastici ingrauescerent, e. g. in lingua, in artubus, et cet. Maluissem autem has, quas exposui supra, radices in pulueris forma exhibere, nisi obstitisset magna in aegro deglutiendi difficultas. Quod autem scopo antiseptico corticem peruianum, et acida, cum vegetabilia, tum praesertim mineralia vitriolica, hic adhibui, non est profecto, cur me excusent. Nostra enim aetate, tot obseruationum experimentorumque apparatu, quot vix numerari possunt, antiseptica doctorum medicamentorum efficacitas abunde satis est confirmata d): vt taceam, nisi etiam haec fuissent expedita atque probata, in iisdem commendandis haud leuidentse esse argumentum, quod periculosissimum hunc morbum felix optabilisque terminauit finis.

d) De vitriolico acido haec inprimis luculenter comprobauit illustris ALBERTVS de HALLER in *Opuscul. anatomic. et pathologic. minor.* Tom. III. pag. 381. seq.

NOBI-

**NOBILISSIMO CANDIDATO
PRAESES.**

Perge Φιλανθρωπίαις medicas disponere curas:

Nec deerit studiis fors bona lausque TVIS.

NOBI





UNIVERSITÄT WÜRZBURG
FACULTÄT MEDICINAE
GRADU BACCALAURII MEDICINAE
SYNOPSIS IN ARTE SALVANDI HUMANI
IMPERANDI
L. LEVI
M.D.C.C.C.











SINGVLARE
FEBRIS PVTRIDAE
EXEMPLVM



PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-

FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.

SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS

MEDICI H. T. DECANO

D. OCTOBRIS CIOICCLXXXVIII.
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICA DISSERTATIONE

RECENSET

AVCTOR

IOSEPHVS BERENDT,

SZIROSZINA-POLONVS.



TRAIECTI AD VIADRVN,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

